OFFICIUM SANCTORUM INNUMERABILIUM MARTYRUM CÆSARAUGUSTÆ.

DUPLEX.

DIE III. NOVEMBRIS.

In festo Sanctorum innumerabilium Martyrum Cæsaraugustæ.

Duplex.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum, præter ea, quæ hîc habentur propria.

Oratio.

REspice, quæsumus Dómine, famíliam tuam, & præsta, ut Sanctôrum innumerabílium Mártyrum intercessiône munîta, ab omni sit culpa defénsa. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

In primo Nocturno Lectiones. Fratres, Debitóres sumus. de eodem Communi.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

INnumerábiles Mártyres Cæsaraugustáni, eo témpore passi sunt, quo ímpius Daciânus à Diocletiáno, & Maximiáno Imperatóribus in Hispániam missus est, ut Christiânum nomen delêret. Qui Cæsaraugústam urbem ingrédiens, tyránnicum edíctum promulgári jubet, ne quis Jesum cóleret. Qui verò contra jussa fáceret, gravi supplício plectерêtur.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis:

lidis : * Terra appáruit árida, & in mari rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, & fluxérunt aquæ, & torréntes inundavérunt. Terra appáruit.

Lectio v.

CUm nec minis, nec supplíciis mentes Christianôrum à veri Dei cultu avértere posset Daciânus, jubet Christiános omnes ab urbe expélli, ut eos ex occúltis locis súbitò prosiliéntes armatôrum cúnei trucidárent. Facto præcónio, sacer omnis Christianôrum convéntus ovánter exílium ampléctitur, longè secum méliùs agi putans, si in ferârum recéssibus, quàm inter idôla vana, cum ímpiis homínibus habitâret. Progrediénte dénique utriúsque sexus innúmera turba, ab iníquis satellítibus trucidâta est. Verùm nondum sánguine Christianôrum exaturâtus Præses, jubet jacéntium córpora in unum cóngeri.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fierent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut herédes fierent.

Lectio vj.

ET ut tamquam crimi nósi puníri videréntur omnes diversôrum scéleru reos, qui in cárcerum e gástulis tenebántur, intérfi ci jussit, & illôrum córpo ra Christianôrum corpóribu congésta aggregári, & óm nia simul ignibus cremári Sed divíno nutu sic separâ ta sunt, ut Mártyrum cíne res, velut fruménti cándidi massa, in portiúnculas con globáti fúerint : áliis vento spargéndis remanéntibus. Visuntúrque hódiè Mártyrum cándidi globi, nitôrem san guíneum sacrârum victimârum apértè demonstrántes.

℟. Tamquam aurum in fornâce probâvit eléctos Dóminus, & quasi holocáusti hóstiam accêpit illos : & in témpore erit respéctus illôrum : * Quóniam donum, & pax est eléctis Dei. ℣. Qui confidunt in illum intélligent veritâtem : & fidéles in dilectiône acquiéscent illi. Quóniam donum. Glória Patri. Quóniam donum.

In tertio Nocturno Homilia in Euangelium. Hæc mando vobis. ut in festo sanctorum Apostolorum Simonis, & Judæ, die 28. Octobris.

Missa. Intret. de Communi plurimorum Martyrum cum Euangelio de Officio.

HISPA-

Plis Serenissimi Regis Catholici precibus Sanctissimo Domino Nostro Clementi Papæ XII. per Eminentissimum, & Reverendissimum Dominum Cardinalem Aquaviva porrectis super extensionem Officii, & Missæ Innumerabilium Martyrum Cæsaraugustanorum, sub Ritu duplici pro die 3. Novembris ad universa Regna, & Dominia eidem Serenissimo Regi Catholico subjecta; necnon alterius sanctæ Engratiæ Virginis, & Sociorum pariter sub ritu duplici ad universam Coronam Aragoniæ pro die 16. Aprilis cum Lectionibus secundi Nocturni propriis, aliàs pro Diœcesi Cæsaraugustana approbatis, illisque à Sanctitate sua ad Sacram Rituum Congregationem remissis, jamque ab Eminentissimo, & Reverendissimo Cardinali Belluga relatis, Sacra eadem Congregatio audito prius juxta ejus rescriptum R. P. D. Ludovico de Valentibus, Fidei Promotore, supradicta Officia cum Lectionibus propriis ab eodem Eminentissimo Ponente iterùm revisis, atque examinatis in posterum ab omnibus, tam Sæcularibus, quàm Regularibus utriusque sexus juxta petita recitari, & Missas respectivè celebrari posse benignè concessit, si Sanctissimo Domino Nostro visum fuerit. Die 30. Novembris 1738.

Factaque deindè per me Secretarium de prædictis Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas sua gratiosè annuit. Die 5. Decembris ejusdem anni 1738.

C. Cardinalis de Marinis Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

T. Patriarcha Hierosolymitanus, Secretarius.